De insolenti adjectivorum cum genitivo constructione.

Ruddimannus in institutt. II. p. 76 seqq. adjectivorum, quae a poetis et posterioribus pedestris sermonis scriptoribus cum genitivo construuntur, immensam copiam congessit, sed quum numerus exemplorum maximae ei curae esset, qua ratione genitivus cum adjectivis conjunctus sit, non satis distincte explanavit. Quare non prorsus supervacaneum putavi, quam vim genitivus in singulis et a me ipso et ab aliis collatis exemplis habeat quaeque ratio inter eum et adjectivum intercedat, accuratius exponere. Singulis autem exemplis in examen vocatis adjectiva in duas classes dispertire optimum duxi. Alteri enim adscribenda judicavi ea adjectiva, quorum constructio eo explicari posse videbatur, quod pro aliis similis significationis vel originis vocabulis genitivum desiderantibus posita sint; in alteram classem ea referenda existimavi, ad quae illa explicatio adhiberi non potest quaeque genitivum nativa ejus casus significatione paullulum obscurata secum habent.

I. Genitivus adjectivis absolutis additur, quum pro relativis similis sententiae usurpantur.

In syntaxi duo adjectivorum genera discernenda sunt, unum absolutorum, alterum relativorum. Absoluta vocantur ea, quae quamvis nullo casu addito certum tamen ac definitum sensum efficiunt; et casus, si quis iis adjicitur, aut dativus aut ablativus est, qui casus non necessariam sed fortuitam tantum vim ad sententiam habent. Relativis vero, ut certum quid et circumscriptum significetur, objectum, quod dicitur, addi necesse est, quod objectum tam arcte cum adjectivo cohaeret, ut iis conjunctis una quodammodo notio exsistat. Casus hanc arctissimam notionum copulationem designans est genitivus. cf. Madvig. additam. ad grammat. Lat. p. 69 et Haase ad Reisigii scholas grammat. Lat. adnot. 525.

Sed poetae et pedestres scriptores posterioris aetatis, praecipue historici, qui ad ornandam dictionem poetarum constructiones adhibent, ut Tacitus, Vellejus, Suetonius, Valerius Maximus, Florus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Curtius, Justinus, Aurelius Victor, Plinius, Seneca, Quintilianus, Gellius, Macrobius, Appulejus alii, multis adjectivis, quae in communi usu absolute ponuntur, vim et sententiam relativorum attribuunt horumque in modum iis genitivum apponunt, cujus usus vestigia quaedam non solum apud Sallustium et Livium, sed etiam apnd Ciceronem inveniuntur.

Zumptius §. 437 et disparia confundit neque, quo se vertat in explicanda enormi constructione, certus est. Nam in medio relinquit, utrum ex Graeco sermone an ex Latino causa inaequalitattis repetenda sit. Sed etiamsi, Graecorum usum multum in sermone Latino valuisse negari non potest, tamen dubium est, num ad constructionem adjectivorum aliquid momenti attulerit. Nam quamquam quaedam ejus generis dictiones utrique sermoni communes sunt, aliae Latinis frequentes Graecis inusitatae sunt. Quamobrem illa Zumptii ratio explicandi, qua vetus operis pro peritus operis usurpatum esse conjicit, pro aptiore putanda et ad omnia ea exempla adhibenda est, quae eam permittunt neque aliam explicationem efflagitant. In qua re id accidit, ut adjectiva absoluta aut cum relativis ejusdem significationis componi aut ad vocabula quodam sententiae discrimine disjuncta referri possint.

Usitatam adjectivorum relativorum dispositionem, qua in Participia Praes., in adjectiva cupiditatem et scientiam designantia, et in adjectiva copiae et inopiae dispertiuntur, secutus enormitatem structurae, quae commutatione vocabulorum efficitur, accuratius jam explicabo.

A. Participia Praesentis et adjectiva verbalia.

Participia praesentis, si quidem deposita certi cujusdam temporis assumtaque proprietatis vel status significatione adjectivorum vim accipiunt, non amplius retinere possunt accusativum verbi, quo objectum ut singulum semelque attributum significaretur, sed desiderant genitivum, quo objectum ut actioni iuhaerens repraesentatur, ita ut cum actione conjunctum novam et arctiorem notionem quam qua verbum per se ipsum praeditum fuit, efficiat. (cf. metuens periculum et metuens periculi.) Exemplis a Zumptio §. 438 propositis, quae, quum metuens aeque ac timens poetarum tantum propria sint, cupiens et priscae et posterioris aetatis, tolerans post Augusti tempora invaluerit, neque aetate neque genere scriptorum disparata sunt, haec adjiciam: cognoscens sui Cic. Herenn. 4,18. despiciens de orat. 2,89 perferens ibid. 2, 43, 184 persequens Auct. Her. 2, 19, 29. audiens (imperii) Plaut. Truc. 1, 2, 25 exsequens Gell. 10, 12, 9 servans Virgil. Aen. 2, 247. sapiens Gell. 13, 8 ignorans Tacit. Ann. 11, 18 obtegens (sui animus) Tacit. Ann. 4, 1. simulans Ovid Am. 2, 6, 23 et haec cum particula negativa composita: indiligens Gell. 15, 28, 1. irreverens Plin. 8, 21 intolerans Liv. et Tacit. Etiamsi hujusmodi participiorum cum genitivo structura nullo loco exclusa est, quo proprietas manens designatur, tamen praecipue locum habet in iis Participiis, quorum sententia cum veris adjectivis genitivum desiderantibus congruit. Participia praeteriti, quae Ruddimannus cum Participiis praesentis connectit, inter adjectiva scientiae et ignorantiae referre aptius duxi, excepto uno exosus (hujus vitae Boet. Conv. II. pros. 4,) quod quum Participium praesentis desit, ejus vicibus fungitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ad Participia Praesentis proxime accedunt ex adjectivorum numero vocabula in bundus quae vim et copiam et quasi abundantiam demonstrare grammatici tradunt (cf. Gell. XI, 15). Sed plerumque non ita longe significatione distant a simplicibus participiis, constructionem vero participiis usitatissimam perraro sibi assumunt velut Appul. Met. 3 p. 213 Oud.: Jam sui periclitabunda paullatim terra resultat.

Neque multum a participiorum praesentis sententia differunt adjectiva in ivus, quae a participiis perfecti ducuntur; sed ejusmodi vocabula genitivus rarissime consequitur ut Gaj. Dig. 50, 16, 232.: Haec enunciatio: Quae sunt pluris aureorum triginta, simul et quantitatis et aestimationis significativa. Enunciativi corporum Senec. ep. 117. fugitivus patriae Val. Max. II, 7, 12. loci alicujus Plin. h. n. 18, 15, finium suorum regnique Flor. III. 1, 12.

Adjectiva in idus, quum intellectu verbi, unde originem ducunt, immutato proprietatem quandam significent, proxime a participiis praes. absunt, eorumque cum genitivo structuram sibi vindicant, siquidem a verbis transitivis progignunter, cujus generis sunt, ut vocabula communi usu trita cupidus, providus transeam, timidus (procellae Horat. A. P. 28 deorum Ovid. Met. 5,100 et Fast. 5,431, cui similis significationis vocabulum formidolosus (hostium) Tacit Ann. I., 62 assimilavit. Huc referendum est etiam pavidus (nandi Tacit. hist. 4 14 offensionum Ann. 4, 38. maris Lucan 8, 811 lucis Senec. Herc. fur. 293 leti ibid. 1076 impavidus somni Sil. 7, 128) cujus verbum primitivum quamquam vulgo intransitive intelligitur, tamen a poetis etiam transitive dicitur. His in idus exeuntibus adjectivis addenda sunt: profugus (regni Tacit. An. 15, 1, prodigus, quod infra propter significationem cum liberalis, benignus, aliis componam, indagus veri Mart. Capill. 1, 9, quamquam hoc loco etiam indigus scriptum legitur. Quae omnia adjectiva verbalia sententiam verbi, unde ducuntur, servantia participiorum simillima sunt et genitivum sibi adnecti patiuntur aeque atque in Graeco sermone adjectiva a transitivis verbis derivata, de quo usu cf. Matth. § 322.

Paullulum inflectitur verbi significatio in adjectivis verbalibus in ax terminatis, quum plerumque inclinationem vel facultatem designent. Sed interdum meram verbi notionem retinent ita, ut nihil fere intersit inter haec verbalia et participia praes. adjective usurpata. Quum per se ipsa haec adjectiva poetarum magis propria sint, non mirum est ea a poetis maxime cum casu secundo componi, quamquam ea structura posita est in notione, quae addito demum casu fit definita. Usu maxime pervulgata sunt capax, quod a Livio, Vellej., Plin., Tac., Ovid. et proprie et per translationem usurpatur, tenax ap. Vellej., Plin., Suet., Quintil., Ovid., Horat. et Pers., ferax apud Horat., Ovid., Plin., fugax (quocum cf. particip. fugiens) apud Senec. et Ovid., rarius cum genitivo connectuntur: sagax cui voci Cic. praepositionem ad adjungit, ap. Horat., Sil., Colum., edax (tempus rerum) Ovid., Met. 15, 234, pertinax (justitiae quocum cf. retinens) Appul., Apol. fin., pervicax (recti) Tacit. Hist. 4, 5, petax (ornatus, potentiae) ap. Fulg., Myth. 2, 1 et 3, rapax ap. Plin. et Senec., mendax rei Plaut. Asin. 5, 2, 4, quocum componendum est propter significationem et structuram quarum rerum falsiloquum ap. Plaut. Capt. II, 2, 4, spernax mortis Sil. 8, 465, (quocum cf. despiciens). Ad-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

jectiva verbalia in ulus finientia, quae actionem in vitium versam insigniunt, si a transitivis verbis orta sunt, genitivum sibi apponi sinunt: bibulus liquidi Falerni Horat. Ep. I, 3, 34, credula spes animi mutui Horat. Od. IV, 1, 30.

Etiam adjectiva a substantivis transitivae significationis derivata aut composita interdum genitivum objectivum substantivorum servant, ut curiosus et securus in exemplis infra afferendis. Eodem modo Tacit. Ann. 6, 24 dixit exspes vitae, quod idem est atque sine spe vitae perinde ac securus odii convenit dictioni: sine cura vitae.

In omnibus, quae adhuc attulimus, exemplis genitivi usus continetur significatione ex origine vocabulorum pendente. Singularis est illa adjectivi fidus cum genitivo constructio, quae invenitur apud Virgil. Aen. XII, 659 regina tui fidissima pro tibi vel in te, quam non aliter expedire possumus quam si sumamus eam ad formam dictionis tui amantissima inflexam esse. Non aliter alternus animae Pollux apud Sil. 9, 295 originem debere videtur dictioni alternans animae, quae poetae animo obversabatur.

B. Adjectiva animi vel mentis agitationem designantia.

a. Adjectiva in modum vocc. cupidus et avidus cum genitivo conjuncta.

Ad similitudinem adjectivorum relativorum cupiditatem aut fastidium significantium, cujus generis sunt cupidus, avidus, studiosus, cum quibusque Participia cupiens, sitiens, persequens componi possunt, casum paternum assumunt avarus (Horat. A. P. 324 Grajis praeter laudem nullius avaris, Tac. Hist. 1, 49, publicae pecuniae avarus) et libidinosus (eloquentiae et gloriae ap. Tertull. Apol. 48.) Etiam genitivus, qui adjectivis inexplebilis (Senec. Consol. ad Helv. colloquiorum), insatiabilis (sanguinis Justin. 1, 8; laudis Valer. Max. 8, 14, 3) et insaturabilis (sanguinis humani Oros. 3, 18), additus reperitur, ex significatione immoderatae cupiditatis repetendus videtur: nam si originem spectes, ablativus, qui legitur etiam apud Liv. IV, 13, insatiabilis eo, quod fortuna spondet, iis genitivo aptior sit.

Versa vice Plautus et Tacitus relativa adjectiva hujus ordinis absolute ponunt iisque ad normam adjectivorum amicus, inimicus, pronus dativum addunt, quo casu non interior vis adjectivi afficitur sed objectum ad adj. refertur exstrinsecus, studiosus Plaut. Mil. glor. III, 1, 206, de quo cf. Haase adn. 215, avidus Tacit. Hist. I, 7 (manus subitis avidae), cupidus vino Plaut. Pind. I, 2, 50, quo loco Freund. in lex. s. v. vino ablativum putat esse, quamquam in simili Tacitea dictione subitis pro dativo habet. Alias constructionis vicissitudines commemorat Ruddimannus II, p. 70.

Poetae non solum cupiditatem et fastidium declarantia adjectiva cum genitivo connectunt, sed in omnibus dictionibus, quibus propensio vel alienatio vel voluntas vel omnino animi affectio demonstratur, genitivo utuntur, et ad eam rem, ad quam affectus animi pertinet, et ad eam, qua animus movetur et affectus progignitur, insigniendam. His in dictionibus adjectiva aut ipsa per se notionem affectus habent, qui per genitivum ad certum objectum refertur, aut addito demum genitivo eam notionem ac-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cipiunt, ita ut genitivus latiorem adjectivi intellectum ad arctiorem affectus redigat, certum vero objectum, quo is referatur, absit. Ut exemplo rem planam faciam, perfidus per se voluntatem significat, quae per genitivum sacri pacti Sil. 1, 5, ad singulam rem, qua cognoscitur, refertur; pravus vero, quod latiore sensu praeditum est, apposito genitivo fidei arctiorem adjectivi perfidus intellectum accipit, quod idem discrimen est inter pravus audendi et lentus coepti. Genitivorum vero ipsorum in utraque dictione eadem natura est, quum objectum, in quo proprietas subjecti apparet, indicent. Diversus vero ab hoc genitivo respectivo, cujus usum infra attingemus, est genitivus causalis, qui adjectivis laetitiae vel metus vel fiduciae ad causam eorum affectuum declarandam adnectitur.

Genitivus igitur in elocutionibus, quae propensum aut aversantem animum, industriam aut ignaviam declarant, usurpatur: prona ruendi mens Lucan. 1, 46, properus occasionis Tacit. Ann. 12, 66. vindictae 14, 7 irae 11, 26. ferox scelerum Tacit. Ann. 4, 12. linguae Hist. 1, 35. intentus operis et laboris Tacit. Ann. 1, 20. atrox odii Tacit. Ann. 12, 22. promptus belli Sall. fragm. veritatis exhibendae Gell. 10, 22. festinus laudum Stat. Silv. 5, 3, 35. voti Theb. 6, 75. celer nandi Sil. 4, 587. piger militiae Horat. Ep. II., 1, 24. pericli Sil. 14, 264. undae 15, 504. impiger militiae Tacit. Ann. 3, 48. Hist. I., 87, strenuus militiae Tacit. Hist. 1, 52. acer militiae Tacit. Hist. II., 5. belli Vellej. I., 3. exactior morum fabraene artis Ovid. Fast. III., 383. 3, 42. (in perfidia Tacit. Hist. III., 57.) ignavus operum et laboris Tacit. Ann. 11, 18. segnis occasionum Tacit. Ann. 16, 14. aliorum 14, 33. tardus fugae Valen. Flacc. 3, 54 et Ovi. Halieut. 18. lentus coepti Sil. 3, 176 argumenti Ovid. Am. III., 1, 16. risides bellorum Stat. Th. VII., 285.

Porro genitivus, adjectivis curam vel securitatem significantibus adjicitur:

cautus rei divinae Macrob. Sat. 1, 15. curiosus medicinae Plin. 25, 22. memoriae Aurel. Vict. Caesar 20 fin. famae Capitol. Anton. Philos. 20, cui adjectivo Cicero praepp. ad et in apponere solet, incautus sui Stat. Theb. 6, 766. incauta futuri Hor. Sat. I., 1, 35. Liv. 40, 5 (incautus a fraude fraterna dicit) incuriosus discriminis Tacit. Hist. 3, 56. securus odii Tacit. Agr. 43. incrementi Vellej. II., 109. dedecoris Tacit. Hist. III., 41. tam pravae observationis Quintil Inst. 8, 3, 51. vulgi Pers. 6, 12. pelagi atque mei Virgil. Aen. 7, 303 futuri Ovid. Met. 6, 37. famae Trist. I., 1, 49, puellae Amor. II,, 19, 37. suis Met. VII., 435. socors ceterarum rerum Terent. Adelph. 45, 61. futuri Tacit. Hist. 3, 31. quocum propter similem significationem componendum est surdus Mars genitor, votorum haud surde meorum Sil. 10, 554 pactorum 1, 692. veritatis Colum. 3, 10, 18.

Praeterea in dictionibus voluntatem animi vel bonam vel pravam, fidem, perfidiam, occultum, ingratum animum exhibentibus genitivus usurpatur:

perfidus sacri pacti Sil. l. c. fallax amicitiae Tacit. Ann. 16, 32. improba connubii Stat Theb. 7, 300. occultus odii Tacit. Ann. 4, 1. ingratus salutis Virgil. Aen. X, 666. pravus fidei Sil. 3, 253. sinister fidei Sil. 1, 56. constans fidei Tacit. Hist. III. 57.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Denique adjectiva moderatum et immodicum animum designantia genitivum habent: modicus voluptatum Tacit. Ann. laetitiae ib. 15, 23. parcus donandi Horat. Sat. II. 5, 79*) immodicus gloriae Vellej. 2, 11. irae Stat. Theb. 1, 41. laetitiae et moeroris Tat. Ann. 15, 23. fugae Sil. 12, 268 nimius imperii Liv. 3, 26. sermonis Tacit. Hist. 3, 75 pugnae Sil. 5, 232. effusissimus munificentiae Vellej. II, 41.

Causam affectus declarat genitivus, qui adjectivis metum et laetitiam et fiduciam significantibus additur: trepidus rerum suarum Liv. 36, 31; 5, 11. Virgil. Aen. XII, 587. salutis Sil. 12, 13. tubarum Stat. Theb. 11, 325. aeger rerum temere motarum Flor. III, 17, 9. morae Lucan. VII, 240. delicti Sil. 13, 52. pericli 15, 135. intrepidus febris Claudian. 7, 31. anxius inopiae Liv. 21, 48. furti Ovid. Met. I, 623. vitae Heroid. 20, 198. securitatis Plin. 15, 18, 20. potentiae Tacit. Ann. IV, 12 sui Hist. 3, 38.

laetus laborum Virgil. Aen. XI, 73 (pro quo genitivo apud Terentium de legitur). gaudens alti Stat. Silv. I, 4, 62. fidens rerum Stat. Theb. VI, 678. armorum Lucan. IX, 373.

b. Adjectiva in modum vocc. peritus, prudens, providus, gnarus, rudis similium cum genitivo conjuncta.

Adjectivis, quae sensum et sciendi vel recordandi et nesciendi vel obliviscendi habent, cujus generis usitatissima sunt: peritus, imperitus, conscius, inscius, nescius, gnarus, ignarus, prudens, consultus, rudis, memor, immemor (quibuscum componas Participp. sciens, intelligens, cognoscens, sapiens, ignorans) se in structura accommodant:

haec participia, quae aeque atque peritus et consultus adjectivam notionem induerunt: scitus vadorum Ovid. Met. 108 Fast. V, 54 pugnandi Quint. Inst. 9, 3, 10.

---

*) Loco genitivi gerundii poetae infinitivum usurpant, in cujus usu maximam sibi licentiam sumunt (cf. Madvig. §. 411 adn. 2 §. 412 adn. 3 et §. 419.) Ut Infinitivus substantivis adjicitur, quin discrimen aliquod inter eum et genitivum gerundii appareat, qua de re cf. Lübkeri commentationem de infinitivo Plautino in antiq. ephem a. 7. fasc. 2. N. 15, ita adjectivis, qui genitivum (gerundii) assumere possunt, adnectitur. Cum doctus fandi Virgil docilis falleudi Sil., et sollers cunctandi Sil. comparari possunt, peritus cantare Virgil. Bucol. 7, 32 nescius dicere Horat. Od. I, 6, 6 indocilis pati ib. Od. I, 1, 8 callidus condere Od. I, 10, 7 resonare III, 11, 4 catus jaculari Od. III, 12, 8 sollers ponere Od. IV, 8, 8 sagax videre Ovid. Met. I, 146, cum certus eundi, desciscendae, reliquendae vitae certus mori Virgil. Aen. IV, 364, Ovid. Met. X, 428 cedere ib. IX, 43, cum celer nandi, prona ruendi, pravus audendi celer irasci Horat. Ep. I, 20, 25, sequ. Od. I, 15, 18 excipere aprum Od. III, 129. IV, 6, 39 pernix relinquere A. P. 165. ocior conscendere Ovid. Met. 1, 5, 15, cum parcus donandi et prodigus nocendi largus donare spes Horat. Od. IV, 12, 19. Praeterea haec adjectiva, quae, quamquam gerundii genitivus iis non appositus reperitur, genitivum certe admittunt, cum infinitivo conjunguntur; cautus Horat. Sat. I, 6, 51 timidus Od. III, 19, 2 IV, 9, 52 segnis Od. II, 12, 19 impiger Od. IV, 14, 22 praestans Virgil. Aen. XII, 527 bonus Virgil. Bucol. IV, 1. et haec, quae genitivum quidem non secum habent, sed quibus qui apponitur infinitivus cum genitivo respectivo, qualis in liber revertendi apparet, comparari potest durus Horat. Sat. I, 4, 8 fortis Horat. Sat. II, 7, 85 Od. III, 3, 50 ridiculus Sat. II, 8, 24 saevus Ep. I, 15, 30 lenis Od. I, 24, 7 Carmen S. 14 trux Sil. 13, 220.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

doctus fandi Virgil. Aen. X, 225 Gell. 13, 12, 1 et al. l. indoctus pilae discive trochive Horat. A. P. 380, quae sequuntur et docilis (modorum Horat. Od. IV, 6, 43. pravi Sat. II, 2, 52 fallendi Sil. 3, 233 freni 16, 360) et indocilis (coeli Plin. 18, 25, 60), quae vocabula saepe insitam facultatis notionem exuunt simplici cognitionis vel inscitiae intellectu assumpto, expertus belli Virgil. Aen. X, 173 Tacit. Hist. IV, 76 et inexpertus lasciviae Tacit. Ann. 16, 5 belli Hist. II, 5.,

praeterea haec adjectiva:

vafer juris Ovid. Heroid. 20, 32 sollers lyrae Horat. A. P. 407 cunctandi Sil. 7, 126 callidus rei militaris Tacit. Hist. 2, 31 temporum Ann. 4, 33 et callens utriusque linguae Gell. 17, 5, 3 vaticinandi Plin. 21, 31, 105, quamquam hoc vocabulum quum callere artem dicatur cum participiis supra propositis comparari potest; caecus futuri fati Lucan. II, 14 divinus, quod quum vulgari sermone id significet, quod deorum proprium iisque debitum est, duobus Horatii locis idem quod providus vel praesagus valet obeamque rem genitivum sibi adjungi patitur Od. III, 27, 10 divina imbrium imminentium avis et A. P. 218 divina futuri sententia.

Adjectivi ignotus cum genitivo (itineris Naev. ap. Non. 124, 28) structura inversione efficitur, qua ignotus pro ignarus usurpatur, qua de figura cf. Gell. IX, 13.

Etiam adjectivorum assuetus Liv. insuetus Cic. insolitus Sall. insolens Caes. et Sall. constructio, quae optimorum scriptorum usu confirmata est, ab sententia vocabulis gnarus et ignarus simili profisciscitur. Erravit Ramshornius §. 108, 2 participiale insolens numero participiorum praes. act. adjectivam vim habentium adscribens, neque enim animadvertit eo non omnium verborum participia praes., sed eorum tantum quae accusativum desiderent, referri posse.

Insolentissima, sed eadem ita explicanda est voc. serus cum genitivo conjunctio (studiorum Horat. Sat. I, 10, 210 belli Sil. 3, 255). Nam quum serus intellectum adjectivi rudis accipiat, etiam in structura ejus rationem sequitur. Similis est ratio adjectivi vetus, quod a Tacito et Silio pro voc. gnarus usurpatur, id quod ex hujusmodi locis. Tacit. Hist. IV, 76 veterem expertumque belli clarissime apparet. Alia hujus usus exempla sunt Tacit. Ann. I. 20 operis et laboris Hist. 4, 20 militiae, Ann. 16, 44, regnandi 6, 12, scientiae et ceremoniarum Sil. 4, 532 laborum. Cum his, quae adhuc attulimus, a grammaticis non recte componuntur adjectiva (praescius ap. Tacit. Ovid., Val., Flacc.) et praesagus (ap. Ovid et Virgil.). Nam quum illorum priorum sola cum genitivo constructio poetarum propria sit, haec per se ipsa poetica aut posterioris aetatis sunt aeque atque scius (Macrob. et Lactant.) et catus (legum Auson.), quae omnia propter insitam vim genitivum habent.

Etiam hujus generis adjectiva absoluta interdum relative intelliguntur et cum ablativo, quo causa cognitionis indicatur, connectuntur e. g. peritus jure Cic. cf. Reisig. schol. §. 390, et praeposit. de apponit vocabulo ignarus Tacit. Hist. I, 67; alias constructionis mutationes invenies ap. Ruddim. p. 71.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Notionis quadam cognaitione haec adjectiva attingunt vocabula certus, incertus, dubius, ambiguus, quae et ipsa cognitionem quasi quandam vel ignorationem designant, quamobrem casum patricum iis addi licitum est: certus futuri Ovid. Met. XIII, 722 damnationis Lucret. Tib. 61 exitii Tacit. Ann. 1, 27 spei Hist. 4, 3 matrimonii Ann. 13, 3. Ovid. Met. XI, 415 scripsit consilii sui certam facit, qno intellectu scriptores pedestres melioris notae comparativum positivo praeferunt perinde atque alias idem Ovid, XIV, 290 dicit: tantae cladis ab illo certior Ulixes (sc. factus) et Trist. I, 3, 20 fati certior esse mei poterat. Qua sola dicendi ratione etiam pedester sermo genitivum usurpat. At poetae non solum hac significatione adject. certus cum genitivo construunt, sed etiam, quum consilii notionem habet, cujus generis exempla cum dictionibus promptus belli, celer nandi supra allatis congruunt: certus eundi Virgil. Aen. V, 534 desciscendi Tacit. Hist. 4, 14 relinquendae vitae Tacit. Ann. 4, 34 sceleris Ann. 12, 66. Pari modi contrariae notionis vocabula habentur: incertus (futuri Virgil. Aen. VIII, 583. salutis Ovid. Trist. IX, 3, 4 sententiae Liv. 4, 57 ultioris Tacit. 2, 75.) dubius vitae Ovid. Trist. III, 3, 25, salutis Met. 15, 437 Consilii Just. 2, 13 sententiae Liv. 33, 25.) ambiguus (imperandi Tacit. Ann. I, 7 pudoris ac metus II, 40 futuri Hist. III, 53 auxiliorum IV, 19, consilii II, 83 et IV, 21, quem ad usum explicandum non necesse est ad Graecum sermonem confugere.

C. Adjectiva copiae et inopiae.

Reisigius §. 355 genitivum adjectivis copiae et inopiae adjunctum partitiva genitivi notione explicare vult dicens partes alicujus rei esse, quae spatium sive aliud quid compleant et qui inops alicujus rei sit, etiam partium ejus rei inopem esse. Haase in adn. hanc longius repetitam explicationem refutavit et diversam horum vocabulorum et cum genitivo et cum ablativo constructionem ex diversa ratione, qna haec vocabula intelligi possint, petivit. Nam copia aut absolute accipitur et si quis casus additur, ablativus est, qui causam copiae significat, aut ad objectum, quo species copiae definitur, refertur. Cujus relationis casus est genitivus.

Inde conficitur, ut iis adjectivis, quae societatem alicujus rei aut quod ei est contrarium declarant, genitivus addi debeat, quum apposito demum objecto adjectivum definitam notionem accipiat, iis vero, quae potentiam et impotentiam, aut copiam et inopiam proprie designant, et genitivus et ablativus apponi possit prout notio aut absolute aut relative accipitur. Sed usus certis vocabulis plerumque aut hunc aut illum casum assignavit modo absolutum modo relativum notionis intellectum praeferens. Poetae vero etiam in hoc vocabulorum genere sibi sumpserunt, ut adjectivis, quae in communi sermone absolute ponuntur et ablativo conjunguntur, genitivum, contra relativis ablativum (velut Plautus As. I, 1, 13 expers metu) adderent.

a) Adjectiva in modum et compos, expers similium cum genitivo conjuncta.

Ad constructionem relativorum adjectivi potens et compos inflectuntur pollens (vini Plaut. Cur. 1, 2, 21) et utilis (radix medendi utilis Ovid. Heroid. 5, 147) quod vocabulum eodem in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

versu cum voce, cujus significatione induta est, pollens (herba ad opem) composita invenitur, sed Burmannus h. l. Heinsium secutus legit medenti.

Ex adjectivi potens structura nata est structura verbi potiundi similiumque adipiscendi et apiscendi ap. Tacit., aeque atque verbi regnandi ap. Horat. et dominandi apud Tertullianum.

Ad vocabuli expers rationem praeter immunis, quod a Cicerone absolute usurpatum posteriores et poetae non solum cum ablativo et praepositione a, sed etiam cum genitivo frequentissime conjungunt et praeter alienus, quod quamquam in locis, qualis est Ciceronis de fin. 1, 4 § 11: Quis alienum putet esse ejus dignitatis, cum Reisigio § 354 genitivum ex adjectivi proprius, cujus est negatio, ratione repetam, in Ovid. loco Fast. I, 395 joci non alienus et similibus cum expers conferre malim: ad adjectivum expers igitur se conformant: vacuus (operum Horat. Od. II, 2 119. criminis Ovid Met. VI, 540 caedis Ovid A. A. I, 162 et ap. Sallustium etiam Jug. 90 ager frugum vacuus cum intellectu vocis inanis.) vacivus (virium Plaut. Bacch. I, 2, 46 laboris Terent. Heaut. 1, 1, 38) liber (laborum Horat. A. P. 212 fati Virgil. Aen. X, 154. curarum Lucan. 4, 384, quibuscum exemplis interpretes in Burmanni recensione Ovidianorum poematum comparant id, quod in Heroid. I, 80 legitur revertendi liber, quamquam h. l. genitivus est respectivus, ut apud Plaut. Amphitr. Prolog. 105 quam liber rerum harum multarum sit.) purus sceleris Horat. Od. I. 22 1 et participia solutus (operum Horat. Od. III, 17, 16) et purgatus morbi Horat. Sat. II, 3, 37. Exsors, quod, si originis rationem habeas, absolutum est, apud poetas saepissime genitivum sumit, quum latiorem voc. expers notionem acceperit.

Paullo audacius et poetarum tantum insolenti licentia explicandum est, si exsul, degener, devius genitivum habent. Horat. Od. II, 16, 19 dicit exsul patriae, quod pro expers patriae dictum esse dilucidius ostendit ille Ovidii locus Met. IX, 409, exsul mentis domusque, quo loco exsul, quod ob proprium sensum patria ejectus tantum cum voce patriae aut simili (Martial. 10, 5, 3 pontis exsul et clivi) conjungi potest, etiam ad mentem translata et mentis exsul idem atque expers mentis est. Conferri possunt profugus regni et quod propius accedit extorris regni Stat. Theb. 12, 262. Similiter in vocabulis degener (Ovid. Ep. ex Pont. III., 5, 7. juvenis patrii non degener oris; patriae artis Met. XI., 314 altae virtutis Sil. 10, 68 humani ritus, Plin. 5, 8, 8) et devius (aequi Sil. 1, 57 recti 8, 318,) quae propter compositionem praepositonem a poscunt, primitiva significatio obliterata, latiorque iis vocis expers notio subjecta est, quo facto locus datus est genitivo.

b) Adjectiva in modum adjectivorum plenus et inops genitivo conjuncta.

Altera adjectivorum copiae et inopiae classis ea adjectiva continet, quae proprie sic nominantur velut plenus, refertus, completus, repletus, fertilis, satur, inops, inanis, egenus, indigus, quae omnia excepto uno inops, quod, si cum mero casu conjungitur, cum genitivo compositum legitur, et in pedestri

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sermone et in oratione versibus adstricta, nisi forte ut egenus, indigus, satur hoc genere discendi exclusa sunt, modo genitivum modo ablativum secum habent. Reliqua vero hujus generis vocabula in communi usu aut casu carent aut ablativum habent; sed poetae omnia omnino hujus generis vocabula cum genitivo componunt et multa quidem saepius cum hoc casu quam cum ablativo, quibusdam etiam ut voc. pauper, si casum addunt, non alium nisi genitivum addunt. Jam singula vocabula persequamur: dives opum Virgil. Aen. I. 14, I, 21 Georg. II, 468. Ovid. Fast. III, 570 opis Horat. Sat. I, 2, 74 artium Horat. Od. IV, 8, 5 aquae Sat. I, 5, 91 armenti Ovid. Heroid. IX, 91, pro qua dictione apud Val. Flacc. 6, 204 ab omni armento legitur; agri Ovid. Met. V, 13 et 129 Virgil. Aen. I, 343 et X, 563, equum vestis et auri Aen. X, 26 pecoris Buc. II, 20 Georg. II, 136. uber regio cum aeris ac plumbi uberrima, tum et minio Just. 44, 3 frugum Att. ap. Non. 498, 6, in Horatii Od. II, 19, 10 a Ruddim. II p. 113 allato exemplo non necesse est genitivum lactis cum uberes conjungere; opulentus ruris bonorum Horat. Od. I, 17, 16 pecuniae Tacit. Hist. II, 6 largus opum Virgil. Aen. XI, 338 lacrumarum Plaut. Asin. III, 130 aquae Lucan. 9, 608 comae Sil. 7, 601 rapinae 8, 250. praelargus animae pulmo Pers. I, 12 fetus Martis Claud. 26, 25. fecundus culpae Horat. Od. III, 6, 17 metalli Ovid. Met. X, 220 bonorum cum Tacit. Ann. VI, 27 annonae provincia fecunda Hist. I, 11 veri Sil. 13, 490. frequens silvae Tacit. Ann. IV, 65 et infrequens vocum Latinarum Gell. 13, 24, 4. gravidus metalli Ovid. Met. X, 530 mellis Sil. 2, 120 prosper frugum Horat. Od. IV, 6, 39, quamquam alii id comparant cum exemplis, qualia sunt felix laborum, egregius formae, onustus auri Plaut. Aul. IV, 2, 4 et 10 et participia cumulatus usitato repletus assimilatum, scelerum Plaut. Aulul. V, 17 ineptitudinis Cael. ap. Non. 128, 15 et oneratus Pac. ap Non. 498, 12. Participium abundans Ramshornius l. c. non rectius quam insolens cum participp. Praes. verborum transitiv. comparavit, quum genitivus, si quidem is ut in Virgil. Buccol. II, 2. lactis adhibetur, casus verbi finiti sit. Nam Lucilius verbum cum genitivo conjunxit similitudine adjectivi plenus ductus, quam eamdem secutus Lucret. verbum florendi et scatendi, Ovid. verbum satiandi cum genitivo composuerunt aeque ac Terent. Heaut. II, 4, 20 verbi carendi constructionem ad rationem adjectivorum inopiae inflexit.

Etiam in Graeco sermone similis vocabulorum commutatio similem constructionis vicissitudinem efficit, et Xenophonteum (Anab. lib. II, 4, 14) in quo Buttmannus § 132, 6 genitivum respectivum esse statuit, potius cum Taciteo frequens silvae componam et genitivum ex hujus vocabuli cum aliqua voce copiae permutatione natum esse existimem. Alia hujus generis exempla invenies apud Matth. § 329.

Constructionem adjectivi inops sequuntur: pauper aquae Horat. Od. III, 30, 11 argenti Sat II, 3, 142 sulci cerealis Sil. 8, 545. tenuis opum Sil. 6, 19 omnium exilis atque inanis aegritudinum Plaut. Stich. 41, 21 levis opum Sil. 2, 102, cui Plaut. structuram verbi levare assimilavit, siccus sanguinis Sil. 7, 213. nudus arboris Othrys Ovid. Met. 12, 512 loca nuda gignentium Sall. Jugurth. 79, 6 mors famae Sil. 4, 608 jejunus rari Stomachus Horat. Sat. II, 38, quo loco codd.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dissentiunt, alii rari, alii raro praebentes, sterilis virtutum Tacit. Hist. I, 2, veri Pers. 5, 75 Plin. Vellej. effeta veri senectus Virgil. Aen. VII, 440 vanus veri Virgil. Aen. X, 631 voti Sil. 12, 261 cui dictione comparari possunt irritus consilii Vellej. 2, 64 legationis Tacit. Hist. 432 spei Curt. 5, 6, 5 incepti Sil. 7, 131 et falsus cupiti motus Sil. 13, 886, cui accommodatum est apud Gell. 5, 101 frustratus fuit captionis versute excogitatae. orbus luminis Ovid. Met. III, 517 XIV, 189 in Jb. 261 Memnonis orba aurora Met. XIII, 595 auxilii opumque Plaut. Rud. 2, 3, 19 pedum Lucret. 5, 838 viduus amoris Ovid. Am. III, 10, 18 truncus pedum Virgil. Georg. IV, 310 capitis Sil. 10, 311 et participium secretus ap. Lucret. II, 843 corpora secreta teporis sunt ac frigoris omnino.

Facile perspicitur notiones participationis et copiae atque privationis et inopiae tam arcta necessitune se attingere, ut altera ab altera nonnunquam vix discerni possit. Quamborem nihil obstitit, quin quaedam exempla, quae notioni vocabuli expers asserui, notioni vocis inops subjicerem, et contra. Sed ratio additorum substantivorum me, ut ordinem propositum servarem, adduxit. Zumptius § 470 constructionem participiorum purgatus, solutus ex Graeco sermone petitam esse contendit et ex horum demum participiorum structura adjectivorum vacuus et liber nasci judicavit. Sed licet constructionem verborum desinendi et abstinendi ap. Horat. Graecam esse concedamus, quamquam et hanc ipsam quominus ex universa notione, quae vocabulo expers subjecta est, repetamus, nihil impedit, tamen in explicanda participiorum et adjectivorum constructione cur ad Graecos confugiamus, nihil causae est, quum sermo Latinus similia, quibuscum conferri possint, praebeat. In universum autem cavendum est, ne, id quod saepe fit, difficultates, quas quaedam praeter regulam dicta in Latino sermone objiciunt, potius auxilio Graecae quam ipsius Latinae linguae removeamus, neve quae apud Graecos communi usu pervulgata apud Latinos rara sunt, potius Graecorum more dicta quam ab ipsa Latini sermonis natura profecta statuamus.

c. Adjectiva prodigus, benignus, parcus similia.

Copiae et inopiae adjectivis ea asserere non inconveniens videtur, quae activum quodammodo intellectum habent largitatem et parsimoniam designantia. Ex pedestribus antiquioris aetatis scriptoribus Sallustius adjectiva profusus (sui) Catil, 5 et liberalis (pecuniae) ibid. 7 cum genitivo usurpavit, reliqua hujus generis sunt poetarum et posterioris aetatis:

prodigus animae magnae Horat. od. I., 12, 38, sanguinis et animae Ovid. Am. III., 9, 64, arcani fides prodiga Horat. A. P. 164, locus prodigus herbae Ep. I., 7. 42, peculii Plaut. Most. 4, 1, 19. suae alienaeque fortunae ac pudicitiae Vellej. II., 48.

benignus vini somnique Horat. Lat. II., 33, quorum verborum sensus est: sibi largiter et benigne vinum et somnum praebens, quod exemplum Zumptius p. 437 nescio quo jure cum anxius futuri similibus componit, munificus auri Claud. 8, 499. parcus veteris aceti Horat. Sat. II., 62 suae pecuniae Tacit. Hist. 1, 49, Suet. Tib. 46, sanguinis Tacit Hist., III., 75. Distinguenda ab his

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est dictio parca donandi juventus Horat. Sat. II., 5, 79, quae cum munificentiae effussissimus ap. Vellej. et prodigus nocendi ap. Stat. Theb. 6, 766, comparanda est.

Ut supra vocabulum exsul propterea cum genitivo conjungi posse vidimus, quod deposito arctiore intellectu latiorem vocis expers sibi induerit, ita voc. abstemius, quod Plin. 22, 24, 54 genitivum vini consequi jubet, significationem in compositione sitam amittit et tantum notionem jejunitatis sive inopiae retinet, quamobrem in modum vocabulorum inanis et jejunus construitur. Neque aliter Graecae dictiones a Matthiaeo § 317 allatae (Herodot. VII, 61 Xenoph. Cyrop. IV, 6, 2 Thucyd. II, 65 Plat. Leg. VI p. 296 Sophocl. Electr. 36) explicandae sunt; in iis omnibus negativa tantum alpha privativi notio retenta est, ita ut constructio ad similitudinem vocis inopiam significantis formata sit. Neque vero, ut Fischerus ad Wellauerum opinatur, alpha privativum ipsum, sed notio per id vocabulo nascens eam constructionem efficit. Matthiaeus in omnibus his dictionibus genitivum esse respectivum statuit, cujus usum in universum ad multa exempla transfert, in quibus alia ratio valet.

d) Adjectivorum criminis et innocentiae

constructionem grammatici Zumptius, Ramshornius et Reisigius a verbis accusandi et condemnandi repetunt genitivumque causalem esse existimant. Sed e contrario verborum structura ex adjectivorum nascitur, quibus qui apponitur genitivus, nativa significatione praeditus est, qua arctissimam objecti cum praedicato conjunctionem denotat et utramque notionem in unum quasi corpus coalescere jubet, sicut voc. particeps et expers cum genitivo demum conjuncta certum quid ac definitum declarant. Usitatissima hujus generis vocabula sunt reus, manifestus, insons; iis assimilata sunt noxius cognationis ap. Tacit. Ann. V, 11 facinoris Ulp. Dig. 29, 5, 3 § 12 obnoxius criminum Cod. Justin, 13, 44, 11 innoxia rapti fax Sever. Aet. 354, quo loco scriptura incerta est, consilii Curt. 8, 8, 21 et participium suspectus criminum Tacit. Ann. 3, 60 nimiae spei 3, 29.

II. Genitivus partitivus, respectivus, causalis.

Eorum omnium, quae adhuc attulimus, adjectivorum cum genitivo constructio eo explicari posse vidimus, quod pro aliis eundem vel similem intellectum habentibus et genitivum desiderantibus usurpata sint. Inveniuntur tamen multa alia, ad quae haec explicandi ratio adhiberi non potest quibusque genitivus additur aut ad partem subjecti, in qua proprietas apparet, (e. g. aeger animi), aut ad rem, ad quam proprietas pertinet (e. g. aeger consilii) aut ad rem, qua proprietas efficitur (e. g. aeger timoris) designandam. Quorum genitivorum unum partitivum, alterum respectivum, tertium causalem dicere non absonum videtur. In expedienda hujus constructionis difficultate grammatici valde inter se discrepuerunt. Quum communis usus in his fere omnibus dictionibus aut ablativum aut praepositionem flagitet, fuerunt, qui genitivum aut ablativi aut praepositionis loco positum esse dicerent. Alii omissione vocabuli alicujus enormitatem structurae explicare voluerunt et modo ablativum barbarum respectu (ut Gierig. ad Ovid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Met. V, 267 modo de causa (ut idem ad II, 765) supplendum censuerunt. Alii, quibus omnem Latini sermonis inaequalitatem ex Graeco repetere fuit consuetudo, in constructione Graecorum imitationem agnoverunt, quamquam apud eos hic usus non tam late patet quam apud Latinos. Sed revera genitivus, quamquam quid intersit inter eum et ablativum, plerumque vix sentiri potest, naturalem et principalem, qua arctissimam actionis et objecti conjunctionem declarat, significationem servat et utramque notionem una quasi comprehensione complectitur.

Quam propinquam notionum societatem nos patrio sermone compositis vocabulis designamus, quae velut sinnverwirrt (confusus animi) herzensangst (anxius animi) wuthentbrannt (turbidus irae) zornerglüht (viridis irae) jam specie prae se ferunt notionum confusionem.

Horum genitivorum usus quum tam late apud poetas Latinos et scriptores sequioris aetatis pateat, factum est, ut interpretes in duplicem errorem inciderent. Interdum enim exempla huc retulerunt, quae aliter explicanda esse vel verborum connexus vel grammatica ratio docet. Sic interpres quidam in Burmanniana editione Ovidii ad Heroid. XIX, 172 vel timidus famae cedere vellet amor famae tanquam genitivum ad timidus trahit, quamquam dativus est cum verbo cedere conjungendus. Quod Johnsono in recensendis exemplis accidisse Ruddimannus animadvertit, ut nonnulla ab hac structura aliena illi adsignaret, idem Ruddimanno ipsi in quibusdam exemplis accidit, nam illex animi Venus ap. Appul. et invidus laudis ap. Cic., vigil armenti ap. Sil. non adjective, sed substantive intelligenda sunt. Alii illam adjectivorum cum genitivo constructionem elegantiorem et magis poeticam esse putarunt et saepissime pro ablativo, qui in MSS legitur, genitivum in textum, qui dicitur, receperunt. Quod, ut pauca proponam, Heynius in Virgil. Aen. I, 447 fecit pro scriptura codd. firmata laetus umbra laetus umbrae scribens, alii in Ovid. Met. VIII, 619 vulgari scriptioni animo et aevo praeferentes animi et aevi.

Graeci verbis confringendi partem corporis, quae confringitur, in genitivo addunt et accusativum in ejusmodi locutionibus usurpari Thomas Mag. negat, quamquam multis oratorum Atticorum locis e. g. Demosth. pr. cor. 247 Andocides de myst. § 61, Lysias in Simonem p. 97 e. st. p. 99 et p. 100 casus accusandi scriptus legitur. Pari modo verbis comprehendendi partem corporis, qua quis prehenditur, in genitivo adjiciunt, sed adjectivis hunc partitivum genitivum apponere iis mos non est neque praeter Euripid. Bacch. v. 33 exemplum, quod tamen verbis confringendi assimilatum videtur, certum exemplum afferre habeo, quod Latinis dictionibus amens, integer animi aliis comparari possit, neque verbis affectionem animi designantibus videtur hujusmodi genitivus addi.

Speciales corpores partis praeter comas tanquam exstrinsecus positas (flavus comarum Sil. 9, 414) in sermone Latino per genitivum designari non solent, nam minor capitis ap. Horat. Od. III, 5, 42 ad similitudinem verborum condemnandi dictum est et communi dictioni diminutus capitis congruit, durus oris autem, quod Johnsonus affert, a corrupta librorum scriptura profectum est. Usitatum est partem corporis aut ablativo (aeger pedibus Sall. Cat. 59) aut accusativo denotare aeger pedes Gell. 19, 10 manum laesus Ovid. Fast. IV, 120, manus cruenta Virgil. Cul. 111 caput fulgens Virgil. Aen.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

X, 869 saucius ora Aen. XII, 652 lacer ora manusque ambas Aen. VI, 495. Corpus vero ipsum in genitivo hac partitiva notione adjectivis copulatur ab Appulejo Met. 4, 86 p. 310 aeger corporis et V, 102 p. 360 infirmus corporis; Tacitus vero, qui liberioris genitivi constructionis amantissimus est, hunc genitivum vitavisse videtur dicens Ann. VI, 46 incertus animi, fesso corpore, quamqnam et ipsi et aliis scriptoribus tales elocutionis vicissitudines non rarae sunt velut Sil. 5, 569 in arma Ille qnidem cruda mente et viridissimus irae dicit. Verbis vero hujusmodi genitivum partitivum qui apposuerit, nemo est.

Altera vero animantis pars, qua corpus movetur, animus non solum dubitationem vel metum designantibus, ut Madvig. § 296 adn. 3 docet, sed omnibus omnino adjectivis et participiis in genitivo asseritur, illis quidem et iis, quibus in universum animi aliqua affectio declaratur, praeter necessitatem ad augendam tantum notionis vim perinde atque fit in dictionibns oculis videre, pedibus ire; reliquis vero minus otiose aut ad accuratius definiendam notionem, quam omisso genitivo animi non necesse esset ad animum referre, aut etiam ad causam alicujus proprietatis designandam ita ut genitivus animi vel mentis vel ingenii triplici munere genitivi, quod supra ei assignavimns, fungatur. Rarior est genitivi ingenii (ingenii audax Stat. Silv. 3, 2, 64 fervidus Sil. 17, 414 versutus Plin. N. h. 7, 12) et mentis (anxius Ovid. epic. Druc. dubius Fast. 6, 572 integer Horat. Sat. II, 3, 220 mutabilis Sil, 8, 17) usus, genitivi animi et ingenii servato vocabulorum discrimine copulati inveniuntur ap. Vellej. II, 93, mentis et animi tui sanus ap. Plaut. Trin. 2, 4, 53, quo loco adjunctum pronomen tui attentione dignum est. Ablativum (e. g. Tacit. Hist. 2, 1 anxius animo, ignavus animo) et accusativum animum ferus Plaut. Bach. I, 1, 31 et 40 mitior Horat. Od. 3, 9, 18 et praepositionem ab aeger ab animo Plaut. Ep. 1, 2, 26 genitivi partes suscipere notum est.

Sic additus est genitivus animi, ut nihil nisi emphasis quaedam inde sententiae accedat, in his: amens Virgil. Aen. IV, 203 furens V, 202 vecors Appul. Met. II, p. 41 insanus id. Apol. p. 418 audax Claudian 35, 4, atrox Sall. Hist. II, p. 958 fidens Virgil. Aen. II, 61 confidens Suet. Domit. 12, 8 firmatus Sall. Hist. 3 p. 978 confirmatus Appul. Met. 9 p. 290. dubius Virgil. Georg. III, 289. incertus Terent. Hecyr. I, 2, 46 suspensus Liv. 8, 13 falsus Terent. Eunuch. II, 2, 44 stupens Liv. 6, 36 territus Liv. 7, 34 turbidus Tacit. Hist. 4, 48 turbatus Sil. 4, 648 laetus Tacit. II, 26.

Minus redundat genitivus adjectus adjectivis, quae non per se ipsa animi affectionem significant integer Horat. Sat. II, 3, 220 aeger Liv. 1, 58 Tacit. Hist. 3, 58 maturus Virgil. Aen. IX, 245 miser Plaut. Cist. IV, 2, 3 infelix Virgil. Aen. IV, 529 lassus Plaut. Cist. I, 2, 8 promptus Tacit. Hist. 2, 23 caecus Quint. inst. 1, 10, 29 praeceps Virgil. Aen. IX, 685 vagus Catull. 6, 3, 4 versus Hist. IV, 84 aversus Tacit. Ann. 14, 26 erectus Sil. 13, 188 victus Virgil. Georg. IV, 491 captus Tacit. 3, 73, quam dictionem non cum Ruddimanno ad vocabula inopiae referam, quum captus non tam sit spoliatus quam affectus, mutatus Appul. Apol. p. 521 ni-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mius Liv. 6, 11 immodicus Tacit. Hist. I, 53 ingens Tacit. Ann. I, 69 exiguus Claud. in Eutrop. 2, 381, angustus Appul. Flor. 15 p. 795 tenella Appul. Met. V p. 158 tantus Appul. Apol. p. 439 egregius Virgil. Aen. XI, 417 praestans XII, 190. Causam indicat genitivus in dictione mactus animi morumque tuorum Martial 12, 6.

Ad similitudinem adjectivorum etiam verba, quae anxietatem, errorem, interdum etiam ea, quae gaudium significant, genitivum recipiunt ad designandam eam subjecti partem, quae illis affectibus movetur. Dictioni falsus animi accommodata est usitatissima Lucretio formula loquendi: ne me fallit animi I, 137 et 921, V, 98, ad amens animi ap. Plaut. Epid. Act. I, 2, 35 accommodatum est desipiebam mentis, ad anxius animi, qui te angas animi ap. Plaut. Epid. III, 1, 6 discrucior animi Terent. Adelph. 4, 4, 1 Antipho me discruciat animi Terent Phorm. I. 4, 10, coeperam ego me excruciare animi Plaut. Epid. III. 3, 8, ad laetus animi apud. Appul. Met. 5 recreari animi assimililata sunt. Hae omnes locutiones poetarum aut posterioris temporis propriae sunt, neque satis accurate definita est Reisigii adnotatio § 351. Sed Ciceroni ipsi collibuit dicere animi pendere, quod saepius etiam quam animo vel animis pendere usurpat, formulas dubius, suspensus animi secutus. Caeterum genitivus animi cum illis, quae enumeravimus, verbis solis compositus videtur esse. Servius quidem ad Virgil. X, 686 juvenem animi miserata repressit genitivum animi tanquam partitivum ad verbum miserata referre vult, sed Heynius a verbo miserari eum pendere interpretatur ita ut verborum ordo sit: juvenem repressit, miserata eum animi i. e. propter animum, quae explicatio eo magis placet, quod hujus partitivi genitivi verbo appositi nullum aliud exemplum invenitur apud Virgilium.

Haasius ad Reisig. adn. 527 adnotat genitivum plerumque verbis intransitivis et passivis (pendere animi, angi animi) tantum apponi, transferri autem posse ad activa iis congruentia (discruciare). Quod quamquam verum est, nihil ad rem, quum genitivi animi sive ad subjectum enunciati sive ad objectum refertur natura non commutetur sed partitiva notio maneat. Sed errat Haasius, ex animi cruciatur concludens etiam cruciari alicujus rei dici posse. Quod neque dictum est neque locutione fallebar sermonis firmari potest, cui alium intellectum esse statim videbimus. Hinc sequitur poenitet me alicujus non posse ab cruciatur animi profectum esse, ut Haasius contendit, neque Reisigii opinio, qua genitivum verbo poenitere copulatum causam indicare ut in erubesco alicujus rei judicat, infirmata est. Neque modum in concludendo servavit Haasius dicens fieri non potuisse, ut etiamsi negligens gloriae in usu fuisset, negligere gloriae diceretur. Nihil enim, opinor, obstitit, quin, ut cupere alicujus rei ad modum dictionis cupientem esse, studere alicujus rei ad modum dictionis studiosum esse alicujus rei effictum est, ita etiam negligere gloriae diceretur, nihil, inquam, obstitit, nisi usus, qui est omnium tyrannorum severissimus.

Ut genitivus partitivus parte subjecti, quae actione in adjectivo sita afficitur, definienda, ita genitivus, quem respectivum dicimus, certa quadam re, in qua proprietas perspicitur, denotanda adjectivi notionem circumscribit. Etiam in hac re quidam genitivi nihil momenti ad sententiam afferunt, sed intendunt

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tantum notionem in adjectivo insitam, cujus generis sunt maturus aevi Virgil. Aen. IX, 245 aequalis aevi Sil. III, 404 aegra sanitatis Liv. Andronic. ap. Priscian. p. 725, quo tamen loco vocem aegra vocabulo inops explicationis causa additam esse suspicio est. Sed plerumque genitivus speciei proprietatis designandae inservit:

Hic genitivus praecipue omnibus vel virtutem vel vitium significantibus adjectivis adseritur, ut res, qua illa proprietas apparet, demonstretur:
melior dextrae Sil. 7, 619 fati 5, 333, furandi Tacit. Ann. 3, 74. optimus militiae Sil. 14, 170, quod cur cum Ruddimanno pro dativo habeamus, nihil est causae, rectus judicii Senec. de vit beat. c. 6. dulcissimus fandi Gell. 19, 3. disertus leporum ac facetiarum Catull. 12, 9. egregius formae Virgil. X, 435 linguae Sil. 5, 77. ingenii ac studiorum eminentissimus Vellej. 1, 12. praestans belli Sil. 5, 92 armorum Stat. Theb. 1, 605. praestantissimus sapientiae Tacit. Ann. 6, 6, cujus exempli explicationem, quam Zumptius proponit dicens praestantissimus sapientiae idem significare quod praestantissimus sapientum, falsam esse vel id coarguit, quod etiam positivo genitivus adjunctus reperitur, neque intelligitur, cur ad superlativi usum expediendum aliam rationem sequamur atque ad positivi. Quod idem dicendum est de Tacit. Ann. I, 46 loco princeps severitatis et munificentiae summus. praecipuus virtutis Appul. Met. IV p. 113. circumveniendi Sabini Tacit. Ann. VI, 4, 1. insignis libidinum Tert. Pall. 4. validus virium et opum Tacit. Hist. II, 19 aevi. Aurel. Vict. Caes. 16 fin. orandi Tacit. Ann. IV, 21. integer aevi Virgil. Aen. I, 638 annorum Stat. Theb. I, 415. maximus aevi Sil. 10, 140. ingens rerum Tacit. Hist. 4, 66. modicus originis Tacit. Ann. 6, 39 dignationis Ann. 4, 52 pecuniae Ann. 3, 72 virium Vellej. 1, 12. miser cultus Horat. Sat. II, 2, 66 morum Stat. Theb. 4, 403. aeger consilii Stat. Theb. 9, 141. indecora formae Tacit. Ann. IV, 3. inglorius militiae Tacit. Hist. 3, 59. falsa et ingrata cognominis Arabia Plin. 12, 18, 41. Cum his componenda sunt adjectiva animi affectionem significantia supra p. 5 allata. Praeterea genitivum recipiunt adjectiva similitudinis et diversitatis: par aetatis mentisque Sil. 8, 570. dispar sortis Sil. V, 296. diversus morum Tacit. Ann. 14, 19 et adjectiva otii et securitatis: otiosus studiorum Plin. H. N. praef. liber praeter exempla supra p. 9 allata campi Stat. Silv. 4, 2, 24. tutus fugae Lucan. 9, 346. securus ejus modi casuum loca Tacit. Hist. I, 86, quod separandum est ab exemplis supra propositis, quum neutralem vim habeat et genitivus significet: quod ad ejus modi casus attinet i. e. ab ejus modi casibus, denique haec ordinem denotantia: primus luendae poenae Tacit. Ann. VI, 4 extremus terrarum et libertatis Tacit. Agric. 30.

Interdum in genitivo inest temporalis quaedam significatio: procax otii Tacit. Ann. 13, 46 pravus togae Sil. 8, 260 fortunatus laborum Virgil. Aen. XI, 416 unice rerum fessarum Sil. 1, 274.

Verbis hic genitivus adjunctus non reperitur excepto uno verbo fallendi apud Plaut. Epid. II, 2, 55 nec satis exaudibam nec fallebar sermonis tamen, quod exemplum neque cum fallebar animi, ut fere fit, componi potest, in quo genitivus partem subjecti significat, neque plane cum falsus cupiti, quod

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

supra p. 11 commemoravi, congruit. Nam fallebar sermonis est: in eo sive ad id quod attinet, quod locutae sunt, non prorsus fallebar. De simili Graecorum usu cf. Matth. § 316.

Adjectivis Latinis, quae ex Graeco sermone prorsus convenientia componam, non habeo, nam Herodoti dictiones I, 107 et Xenoph. Hell. II, 69 non licet propter appositos adjectivis genitivos cum aevi maturus comparare. Aliquid similitudinis cum extremos terrarum habent locutiones propinquitatem generis insignientes: cf. Dem. in Macartat. p. 1060 et 1051 et in Leoch. p. 1082 et Heindorf. ad Plat. Protag. p. 441.

Accusativus, qui in Graeco sermone hoc intellectu frequentissimus est, Latinis tum si res corporeae designandae sunt, usitatus, perrarus in aliis rebus est cf. Madvig. § 237, quod contra genitivus ad res, quae cerni tangique queunt, definiendas non adhibetur et e. g. fusca coloris inauditum foret.

Genitivus causalis aut eam rem, qua aliquid efficitur, aut eam, propter quam aliquid fit, designat:

Genitivus causae congruens ablativo, qualis passivis verborum appositur, est genitivus in his dictionibus:

madidas divini roris et nectaris rosas Appul. Met. 4 p. 239, quod idem significat atque madidas factas divino rore. integer urbis Val. Flacc. 2, 374, quod idem est atque urbe non tactus, invictus hiemis aestusque famisque Cantaber Sil. 3, 326, quod dictum est pro non victus hieme, attonitus serpentis equus Sil. 6, 231. interritus leti Ovid. Met. 10, 616, quod noluimus cum Ruddimanno componere cum timidus procellae, quum genitivi, quamquam sententia eodem redit, diversa natura sit, saucius fatigationis hesternae Appul. Met. II, p. 121 aeger timoris Sil. III, 72 cujus morbi aeger Val. Max. V, 7 extr. trepidus admirationis ac metus Tacit. Ann. 6, 21, inter quod et trepidus rerum suarum quid intersit, per se apertum est, fatigatus spei Appul. Met. IV, p. 106. fessus rerum Virgil. I, 178 salutis Sil. 2, 234. lassus maris et viarum militiaeque Horat. Od. II, 6, 7. anhelus longi laboris Sil. 15, 721 ornatus fidei Pallad. de Insit. v. 1. pulcher irae Sil. 11, 365. deformis leti Sil. I, 166. laetus irae Sil. 17, 308. turbidus irae Sil. 12, 417. viridis irae Sil. 5, 569. fervidus aevi Sil. 17, 414.

Genitivus causae, quae dicitur movens, idem quod praepositio propter vel ob, quacum saepius eum commutari e. g. Horat. Ep. 2, 2, 31 clarus ob id factum non mirum est, denotat neque differt ab ablativo, qui passivis verborum velut Cic. de Fin. I, 13 § 42 gubernatoris ars — utilitate, non arte laudatur, et adjectivis velut Val. Max. VIII, 7 quicquid animo, quicquid manu, quicquid lingua admirabile est, apponitur; ac saepius tam prope ad genitivum respectivum accedit, ut vix ab eo discerni possit, quod perspicias collatis praestans sapientiae et clarus artis aliis cf. Reisig. § 391.

notus animi paterni Horat. Od. II, 2, 6 noti operum Telchines Stat. Theb. 2, 274 fugarum Sil. 17 148. cognitus militiae Sall. Jugurth. 84, 2, quo tamen loco etiam militia scribitur. clarus artis, Plin. 37, 1, 4 ultionis Val. Max. 9, 10, 1. extr. nobilis fandi Auson. Prof. Bordig. IV, 2. prae-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

clarus eloquentia ac fidei Tacit. Ann. 4, 34. clarissimus disciplinae Vellej. II, 5. incluta leti Lucretia Sil. 13, 821. perinfamis maleficae disciplinae Appul. Met. 3 p. 213.
felix cerebri Horat. Sat. II, 9, 12 operum Virgil. Georg. I, 277 gratiae Plin. Hist. N. praef. § 7 uteri Sil. 4, 359 leti 4, 398 famae 4, 731 studii locique Ovid. Met. V, 267. mactus animi Mart. I. supra c. miser ambitionis Plin. Panegyr. 58.
laudandus laborum Sil. 5, 561. admirandus frugalitatis continentiaeque Senec. consol. ad Marc. c. 2. venerandus sceptri Sil. 16, 249 senectae 2, 409 curae 6, 574. damnandus facti Sil. 6, 191. spernendus morum Tacit. Ann. 14, 40. lugendus formae Sil. 3, 424. metuendus belli Ovid. Met. II, 765, quem ad locum Heinsius affert nescio ex quibus scriptoribus nasi timendus, gladii tremendus. Cum his conferas exempla supra p. 6 proposita.

Raro genitivus ad eam rem, cujus opera aliquid peragitur, designandam abhibetur: blanda precum Stat. Ach. II, 237, quo eodem significatu idem accusativum usurpat: blanda genas vocemque Theb. 9, 155. Caeterum accusativus causae indicandae (velut Senec. Herc. Oet. 1599 lassus pondus) perraro inservit.

Genitivus causalis omnes in partes etiam Graecis usitatus est, qua de re cf. Matth. §. 323 et §. 348, ubi exemplo ex Plat. Phaed. p. 132 allato quod cum felix cerebri conferri potest, addas Sophocl. Oed. T. v. 1347, quo loco quae legitur dictio comparanda est cum Latina lugendus formae. Neque vero necesse est Latinorum usum ex Graecorum consuetudine petere, praesertim quum, ut jam supra vidimus, Graecis quaedam genitivi positiones ignotae sint.

Ad adjectivorum constructionem referendus est etiam genitivus, qui causam actionis indicans verbis similis significationis additur. Apte Haasius ad Reisig. adn. 537 laudabat leti juvenem ap. Sil. 4, 260 cum felix cerebri et laudandus laborum, cum admirandus frugalitatis justitiaene prius mire belline laborum ap. Virgil. Aen. XI, 126 confert. Pari modo cum miser ambitionis miserata animi, quod supra commemoravimus, componi potest.

A. Lentz.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf